

men, quod præclare meminerat, quanto Joannes rerum Æthiopicarum studio teneretur, suas vel rationes vel desiderium regiae voluntati posthabere constituit. in præsentia ad eum de Paivæ obitu, deque sua peregrinatione perscribit: se India explorata, littus etiam Æthiopicum ad Sofalam usque, aurifodinis prænobilem terram cum cura lustrasse: nec sibi esse dubium, quin ad Bonæ spei promontorium ora continens protendatur: id adeo, tum ex fama sermoneque hominum; tum e cosmographica & nautica ratione constare. sibi esse in animo, quandoquidem Paivam in ipso rerum aditu mors oppresserit, ejus vice in Æthiopiam reverti, uti, DEO bene juvante, inita cum Abassino societate, cognitoque illius imperio & institutis, cuncta postmodum certa ipsemet in Lusitaniam referat. interea ne desisteret Joannes cæpta, fidenter ac strenue profèqui. navarchos circumvectos jam extremum illud Africae promontorium haud ita difficili negotio (paululum modo adnitantur) ipsismet Quilois vel Melindiis ducibus in Indiam utique perventuros. rem esse gloriæ pecuniæque plenissimam. Hasce litteras & commentarios nauticamque membranam cum Hebræis notis e Lusitania mercatoribus, qui Memphi negotiabantur, ad Regem perferendas dedisset; ipse confirmato ad rem conficiendam animo, retro in Æthiopiam iter intendit. Imperabat Abassinis tum Alexander, quintus ab Serfadenehil, qui accisis a Turca jam opibus, regium nomen ac majestatem vix atque ægre tuetur hoc tempore. is venientem ad se Covillanium, quanquam haud plane certus verane afferret, magis tamen propenso ad credendum animo benigne accepit, non mediocriter lætus a tam longinquo ac tam Christiano Rege societatem & amicitiam suam per nuntios & per epistolas expeti: cumque de Joanne, deque aliis Europæ Regibus multa didicisset, remissurus jam cum litteris Covillanium, repente demoritur. Successit ei longe alius ingenio moribusque frater Nahu. Is non modo Lusitanum Regem dignatus responso non est, sed ne ipsum quidem nuntium ad suos redire permisit. Ita Covillanium, cum neque ex Æthiopia evadendi facultas, neque in Lusitaniam scribendi occasio præberetur; ob duturnam absentiam videlicet pro mortuo est habitus, quoad aliis demum e Lusitania missis eodem legatis (ut in loco dicemus) apparuit. Inter hæc Joannes occultis virtutum facibus agitari, noctes inquietas exigere, oblatam sibi laudis æternæ materiem in dies attentius intueri, omnes vias rei perficiendæ conquirere. ast ubi eorum sermone, qui ex Ægypto venerant, & Covillanii litteris ac rationibus animari se vidit; tum vero inchoatam navigationem quantovis periculo sumptuque ad exitum perducere sine ulla dubitatione decrevit. Jamque in talem ac tantam expeditionem, ex ea, quæ tum erat copia, clarissimos destinaverat magistros ac duces; & contra sævientis Oceani ferociam & impetum naves jusserat ædificari vel materiæ firmitate vel structuræ genere validissimas; cum tantis intervenit conatibus mors, bonis omnibus, atque ipsi præsertim Emmanueli, quem, Alphonso filio dudum extincto, Joannes hæredem instituerat, admodum luctuosa. duplici quippe cognationis vinculo Joannem attingebat Emmanuel; quod & Fernando Joannis patruo natus erat, & sororem ipsius Eleonoram lectissimam feminam Joannes habebat in matrimonio. sed præter hanc tantam necessitudinem, quod in regia propinquitate perrarum est, ipsum a quo regni hæreditatem sine controversia expectabat, ob singulares ejus virtutes Emmanuel diligebat unice, & annos ei quam plurimos ac læta pariter omnia precabatur. quo etiam acerbius tulit,

lit,